

tis. Ita enim jucundiora fore existimavi, & in studioforum gratiam, hanc tanquam institutionem pro conficienda Theriaca si ederem, multo facilius ad prestantissimi Antidoticonfectionem sine magno labore pervenire posse, Quod omnibus foelix faustumq; sit.



DE SERPENTE, CUI VIPERA nomen est, & ejusdem nominis Etymologia.

CAP. I.



UÆ Vipera Latinis, à Græcis *ἔχιδνα*, Viperæ masculus *ἔχίς* dicitur. Hujus nominis ratio varia est apud auctores. Isidorus in originib. ait dictam esse Viperam, quia vi pariat; quo cum consentit Plinius libr. 10. cap. 62. Lucanus item, Horus Apollo, Auctor ad Pisonem, Plutarchus, Solinus, Origenes, Nicolaus Nicolus Florentinus, Arnoldus de Villa nova, Montagnana, alijq; plurimi; sed omnium primus Nicander, & ante ipsum Herodotus. Cum enim venter Viperæ ad partum intumesceret, ejus catuli non expectantes maturam partus solutionem, corrosis lateribus, crumpere existi-